

D. D.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

DE

PETITIONE
NAAMANIS
SYRI,

II. Reg. Cap. V. vers. 18.,

QUAM,

*Adprobante Amplissima Facultate Philosophica
in Regia Academia Aboënsi,*

Sub PRÆSIDIO

VIRI CELEBERRIMI,

D^N. CAROLI ABRAH.
CLEWBERG,

L. L. O. O. & Gr. PROFESS. Ordin.

Et Facult. Phil. h. t. DECANI Max. Spect.

Publico honorum Examine subicit

LAURENTIUS O. LEFRÉN,

W. G.

Die VI. Februarii Anni MDCCLI.

Loco horisque consecrat.

ABOÆ, imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin,

Typogr. JACOB MERCKELL.

S: P R: A M: ITIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo PATRI ac DOMINO,

**DN. DANIELI
JUSLENIO,**

S. S. Theologiæ DOCTORI
Celeberrimo,

Dioeceseos Scarenfis EPISCOPO
Eminentissimo,

Ven. Consist. Ecclesiast. PRÆSIDI
Gravissimo,

Gymnasii Scholarumque per Dice-
cesin EPHORO
Adcuratissimo,

MÆCENATI MAGNO,



אשר גבעת חציאו מעינים והלכו פלגי מים בן
חרי מדבר וישבר פרא צמא כן סמרום כושב
אדוני יורו נדרי טובות אשר מחוקים מרנש ונפת
צופים ומנחלותם רבים ומים שתתה נפשי ושבעה וברכ
חסדוך מתענגה ככדשן מבקר עד ערב בלוא סחור מעת
אשר ראיתי כי אור פניך המשמיה אלהים ואמשים ועד
היום

de, men dock aldrig kan; tilfyllest berömma, än mindre aftjena. Jag woro då mer än otacksam, om jag ej betjente mig af ett så lägligit tillfälle, som lyekan nu gifwit mig i händerna, til at offentligeligen å daga lägga det tackfama sinne jag hyser emot Eder, för så mångfaldiga prof af gunst och wälbewågenhet. Si här, **Gunstige HERRE**, ett ringa wedermäle af min beständiga wördnad för Edar Godhet. Uptagen, jag beder, detta mitt omogna Lärdoms - prof såsom en Pant af den högaktning hwarmed jag til mitt sista skall förblifwa

Högaktade Herrens,

Min Gunstige **PATRONS**

ödmjuke tjebare,

LARS O. LEFRÉN.

Fabriquemuren uti **WMAE** /
Äreborne och Wälaktade
Herr BENGT BLOMMENDAHL,

Handelsmännerne der sammansådes

Äreborne och Wälaktade

Herr ANDERS N. BROMAN,

Herr HÅKAN H. BERGMAN,

Herr ANDERS H. MEDIN,

Samtelige mine bendgne Wälgunare.

Sptagen / Mine Herrar / med wanlig benägenhet det-
ta ringas arbete / som Eder här / ifrån en så aflägsen
ort / öfversändes / såsom et wälment bewis dertil /
at jag uti friskt minne bär / och altid bära skal med tack-
samhet / de ogemena prof af gunst och wälbewägenhet /
som mig den tiden jag hade äran / at wistas uti Edra
wackre Hus / i flera år bewistes. Jag tillstår / at min
gäfwä / til ingen del / swarar emot Eder godhet. Men
om hon blott får wara et reckn dertil / at I intet nedlagt
Edre wälgiärningar hos en otacksam; så har jag det jag
önskar. Förstår uti upriktigt / at det så wist skal bli mitt
nöge / som det är minn plikt / om lyckan nänsin unnar mig
tilfälle / at i selswa wercket wisa / med hwad tilgifsven-
het jag beständigt lefwer

Mine Herrars

Hörsammaste Tjenare,
LARS O. LEFRÉN.



§. I.

QUOD trutina est in librandis ponderibus, norma in examinandis lineis & in auro probando lapis lydius, id est iusta peritia lingvarum originalium in dijudicanda fide interpretum, qui sacrum Codicem in lingvas vernaculas transtulerunt. Hoc enim instrumento nisi probe instructus fuerit sanctioris studii cultor, in continuo versabitur periculo, quid pro quo, spurium pro genuino & falsum pro vero adsumendi, nec unquam de victoria ab armatis veritatis hostibus extorquenda adeo certus esse poterit, ut omnis prorsus dubitatio ab animo ejus exulet. Versiones enim sacri Canonis etsi laude sua non sint defraudandæ, cum textu tamen originario eas vix æquiparaverit quisquam, nisi qui a lectione observationum philologicarum hospitem admodum retulerit animum. Nam singulas earum suis laborare nævis, tam certum est, quam quod certissimum. Nec aliter esse potest, siquidem studio & opera mortalium sint concinnatæ, a quibus excellentissimum, quod expectare licet, ne quid gravius dicam, humanum sit oportet. Huc accedit, quod lingvæ etiam ipsæ, quibus primitus consignata sunt Sacra Biblia, ejus deprehendantur indolis, ut

A

trans.

translationem in alias, quæ sensum & emphasin scriptorum sacrorum in omnibus exhauriret, admittere prorsus nequeant. Quod cum ita sit, facili negotio perspicitur, quam necessaria sit armatura philologica omnibus iis, qui sancta Domini bella felici cum successu gerere volunt. Quid? singulis, qui nativam sacrarum litterarum fragrantiam haurire, earumque genuinam dulcedinem gustare optant, non est subsistendum in rivulis, qui aliquid certe fœcis trahunt, quantumvis conspiciantur limpidi, sed ad ipsos progrediendum fontes, qui pura & intemerata fundunt divinæ veritatis nectara. Radii enim cælestis jubaris, quo sacra coruscat pagina, animum pii & attentis lectoris vividius multo adficiunt suaviusque demulcent, si prius illum feriant, quam per crassiorem humani cerebelli Atmosphæram transierint, ibique variis errorum & præjudiciorum nebulis refracti & debilitati fuerint. Sexcentis hæc ipsa probare possemus exemplis, verum, cum id non patiatur instituti nostri ratio, unicum adduxisse sufficiat. Desumemus illud ex *petitione Naamanis Syri*, quæ 2 Reg. 5: 18, refertur, de cujus mente adeo inter se disident eruditi, ut nullibi fere magis. Etenim prout quisque illorum vel propriis opinionibus fuit fascinatatus, vel præjudiciis suæ sectæ mancipatus, vel auctoritatibus majorum deceptus, vel exquisitori perspicientia veri imbutus, ita ex verbis boni hujus viri vel execrabilem exculperunt idololatram, vel detestandum simulatorem, vel prudentem politicum, vel sincerum veræ religionis alumnum. Cum autem plerique horum non nude referant, quid cogitasse illis videatur

deatur Naaman, verum etiam cogitata ejus adprobent
 eaque pro fidei norma & vitæ regula adoptent, sicque
 facile seducere possint imperitiores; nos dignum hoc
 judicavimus argumentum, quod loco speciminis Aca-
 demici, curatius susciperemus examinandum. Tuam
 autem L. B. studiose ambimus humanitatem, peroffi-
 ciosè rogantes, innocua hæc conamina nostra in me-
 liorem interpreteris partem.

§. II.

Argumentum, quod nobis proposuimus enodan-
 dum, in textu originario sic habet: לרבר הזה וסלה דורה
 לעבדך כבוא אדני בית רמן להשתחות שמה הוא נשען
 על ידי והשתחותי בית רמן בהשתחותי בית רמן וסלה נא
 יהיה לעבדך בדבר הזה. Varias variorum esse opiniones
 de sensu horum verborum §. præcedenti obiter obser-
 vavimus. Cum vero non nisi una sit vera, reliquæ o-
 mnes falsæ, tanto magis e re est certo novisse, a cujus
 partibus militet veritas, quanto apertius constat, ad
 hoc exemplum provocare plurimos, qui non unius im-
 pii dogmatis impios agunt patronos. Nec desuerunt
 inter eruditos, qui varias tentarunt vias, ad evitandos
 omnes scopulos, ad quos naufragium fidei & bonæ
 conscientiæ hic facere facile possent incautiores. *Alii*
 enim ad consequentia adtendentes, docuerunt, Eli-
 sæum, verbis, *vade in pace*, indirectè respondisse ad pe-
 titum Naamanis, & sic nullam ei impertivisse conces-
 sionem ejus, quod peteret, dimisisse autem hominem
 infirmum & justæ correctionis adhuc incapacem. *Alii*,
 & antecedentia & consequentia ob oculos habentes,
 aliam ingressi sunt viam, & censuerunt, uni eidemque

verbo שמה; quod in textu existat, pro diversitate sub-
jectorum, de quibus prædicatur, diversam adsignan-
dam esse significationem. *Alii* denique, qui judicarunt,
hos omnes nodum non tam solvere, quam lecare, de-
prehenderunt verba elliptice posita, quæ versiones o-
mnes in futuro exponunt, æque admittere posse expo-
sitionem in præterito, adeoque, nova subministrata ver-
sione, se totum negotium rite expedivisse senserunt.
Hoc igitur problema nos in præsentī opella conabimur
solvere: *Utrum Naaman facinoris patrandi concessionem, an
vero patrati condonationem petierit?* Hoc enim si rite va-
luerimus præstare, totam rem facile deinceps nos ad
liquidum perducturos arbitramur.

§. III.

Cum frustra quærat, quid senserit, nisi prius
sciatur, quid dixerit, necesse est, ut ipsa verba sub in-
cudem revocemus, ea præcipue, in quibus totius ne-
gotii cardo vertitur, qualia sunt כבוי & בשען. His enim
legitime enodatis, reliqua omnia pronò fluent alveo.
כבוי est inf. Kal significationem habens *a loco ad locum
tendendi, veniendi, ingrediendi &c.* Prius כ non est radi-
cale, sed præfixum, quod hic ex infinitivo modum fini-
tum format, & exponi debet: *cum, quando &c.* Alias
est littera formativa gerundiorum in do latinorum.
Tempus, in quo hoc verbum efferrī debet, nostra in-
primis refert novisse. Ex usu lingvæ constat, infiniti-
vos, cum præfixo כ æque ac sine illo, naturaliter ex-
primere tempus præsens, quod medium tenet inter
præteritum & futurum, adeoque ad neutrum horum
temporum per se esse determinatos, determinari au-

tem sæpe per antecedentia & consequentia, ita ut si a parte ante, vel a parte post, cohæreant cum verbo præterito, præteriti induant significationem, sin autem cum futuro, futuri. Quale vero hic præcedit verbum? Expressum habemus nullum; habemus autem aliquod subintellectum. Nam in contesso est, adesse inter prius & posterius commatis nostri hemistichium ellipsin, quæ rite suppleta verbum, quod subauditur, dabit. Confugiendum autem ad loca, in quibus hæc eadem phrasis plenis verbis occurrat. Talem locum invenimus 2 Sam. 12; 6. עָקַב אֲשֶׁר עָשָׂה אֶת הַדְּבָר הַזֶּה וְאֲנִי אֲעָשֶׂה אֶת הַדְּבָר הַזֶּה בְּנֵר כָּל יִשְׂרָאֵל. Hinc colligimus deesse in nostro textu vel עָשִׂיתִי, vel אֲעָשֶׂה, una cum relatio אֲשֶׁר. Quo autem determinare queamus, utrum rectius hic adjici debeat, futurumne אֲעָשֶׂה, an vero præteritum עָשִׂיתִי, iterum juvabit allegasse locum, in quo eadem, quæ hic, adest ellipsis, & hoc ipsum verbum בָּרִיא sequitur. Talis exstat Psalmo 51 & in 1 & 2 commate sic habet: לִמְבַצֵּחַ מִמֶּר לְדָוִד. בָּרִיא אֱלֹהֵי נֶתַן הַנְּכִימָה. Hic ὁμολογούμενος subintelligitur verbum præteritum עָשָׂה cum relativo אֲשֶׁר, quod circumstantiæ historicæ extra controversiam ponunt. Par exemplum suppeditatur nobis quoque Psalmo 52: 1, 2. Evidentum igitur est, posse hic commode suppleri verbum præteriti temporis, adeo ut nostrum בָּרִיא etiam significationem præteriti nanciscatur. Cum vero a posse ad esse non valeat consequentia, ulterius indagandum, num ex intentione dicentis revera & ipso actu ita se res habeat? Hoc prolixius in sequentibus probaturi sumus. Interim observare juvabit, verbum nostrum

nostrum נִשְׁרָע cum præfixo ׀ vel ׀, frequentius a sacris scriptoribus adhiberi in significatione præteriti ac futuri. Exempla hujus rei in sacris pandectis אֲשֶׁר נִשְׁרָעִים occurrunt. E. C. Gen. 30: 38. Exod. 33: 9. Lev. 16: 23. Num. 7: 89. Josuæ 3: 15. Iud. 1: 14. 1 Sam. 4: 5. 30: 1. 2 Sam. 1: 2. 2 Reg. 12: 10. Eldr. 2: 68. Esth 9: 25. 1 Chron. 12: 19. Ezek. 10: 3. &c. Hic tamen non est præ ereunda emphasis verbi נִשְׁרָע. Radix נִשְׁרָע condonavit, remisit, propitius fuit, Stockio aliisque semper involvit respectum ad pœnitentiam rei & misericordiam DEI, cui soli tribuitur, dum offensus condonat, observante Guffetio, Comm. L. H. p. m. 561. nec de Sacerdotis adhibetur sacrificio expiatorio neque de hominum inter se reconciliatione. Construi solet cum ל, idque vel *elliptice*, subaudiendo voces נָע, עָשָׂה, aliasque similes: vel *plene*, expressis illis vocibus, vel aliis ejusdem significationis. Cum igitur usus Biblicus ostendat, כִּי נִשְׁרָע de condonatione tantum Divina & quidem peccati, prævia pœnitentia seria, frequentari; cumque concipi vix possit, quomodo quis sincera tangatur pœnitentia delicti, quod patrare constituit: sequitur non nisi de re præterita illud hoc loco esse accipiendum.

§. IV.

Postulat jam ordinis ratio, ut dispiciamus, cujus temporis sit verbum, quod sequitur, nimirum נָעָה. In antecessum autem indicanda est notio ejusdem. Significat igitur, *inniti*, *incumbere*, & conjugationis est Niphali. Legitur duplici ratione in codicibus manuscriptis æque ac impressis, scilicet vel cum Patach sub radicali, vel cum Kametz. Utra vero harum lectio-

num

num genuina sit, difficile est dictu, nec nostra multum refert, illud anxius inquirere, cum prior evidentissime nobiscum faciat, posterior commodiori sensui etiam, suo modo, patrocinetur. Si fides MSC:tis Erfurten-sibus 1 & v, codici Veneto vetustiori, Wittenbergen-si, Francofurtensi, Genevensi, nec non editionibus Biblio-rum Bombergianis tribus, Ariæ Montani, Munsteria-næ, Hartmannianæ, Nisselianæ &c. præteritum ne-cessario esset, siquidem his omnibus cum Patach legi-tur. Cum vero Plantinus, Buxtorfius, Reineccius, Michaëlis &c. malint legi Kametz, ex illorum mente erit participium Benoni. Ponamus aliquantisper, quod Kametz jure obtineat. In eo casu, neque ad præteri-tum neque ad futurum per se esset determinatum, sed, quod ipsum nomen בנימי indicat, intermedium inter utrumque indigaret tempus, h. e. præsens. Quando autem ad exprimendum verbum præteriti vel futuri temporis adhibetur, fieri solet circumlocutio per ver-bum substantivum, quemadmodum in lingua Græca-nica, & tunc in eo efferendum est tempore, in quo ex-stat adjectum verbum substantivum, quod ipsum tamen non semper exprimitur, sed sæpiuscule dissimulatur, ut hoc loco factum vidimus. Quæstio igitur recurrit: utrum commodius hic subaudiatur, futurumne, an præteritum? Antecedentia, ut vidimus, & consequen-tia, ut postmodum visuri sumus, pro præterito lo-qvuntur, quibus adstipulatur usus auctoris hujus ipsius libri, ex quo desumptum est argumentum nostrum. Quippe qui, cap. sept., bis adhibet hanc eandem lo-quendi rationem על ידי in significatione præteriti.

Huc

Huc accedit; quod plerumque participia ejusmodi, cum elliptice ponuntur, præteritum valeant, rarius futurum. Existimaverim itaque plus quam probabile esse, etiam hoc verbum tempore præterito efferendum.

§. V.

Excusis sic cardinalibus, ut ita dicam, textus nostri vocabulis, pedem promovemus ad alia, ulterius confirmatura, quæ de illis diximus. Hæc inter primum est לעבֿרר, nomen subst. a. r. עֿבֿר *coluit, servivit*, cum præfixo & suffixo. Absolute est עֿבֿר *servus, mancipium*. Dum itaque Naaman, qui ad initium capitis describitur magnificis his verbis: שֶׁר צִבְיָה מֶלֶךְ אֲרָם אִישׁ גִּדּוֹל וְנִשְׂא פָנָיו, se infra Elisæum, nihil prorsus splendoris & eminentiæ secularis præ se ferentem, usque adeo demittit, ut illius se adpellitet servum; plus sane genuinæ prodit humilitatis, quam in eum cadere posset, qui peccata sua nondum serio agnovisset, sed satis adhuc haberet loci & temporis de exceptionibus, contrito animo inusitatis, cogitandi. יהוה est nomen proprium DEi Israëlis, quo ipso ab idolis & omnibus creaturis distingvitur, unde & Judæis חִמְפֿוֹרֶשׁ dici, restatur Maimon. רֶמֶן l. רֶמֶן Est nomen idoli Syrorum, sic dicti a. r. רֶמֶן *altum excelsum esse*, ad imitationem Hebræorum, quibus verus DEus רֶם audit Psalmo 99: 2. & alibi, adeoque idem valere videtur, ac עליון, altissimus. Cum jam Naaman DEi O. M. bonitatem & potentiam proprio experimento sensisset, indeque eo demissus esset humilitatis, ut se non ipsius modo, sed etiam servi ejus, Prophetæ, nominaret mancipium; quis dubitabit ingentem indignationis adfectum occupasse

passè animum ejus, dum ad mentionem venerandi nominis יהוה, memoriæ resipiscientis simul obversatur, quam splendidum nomen, quamque magnificos honores, præterito Creatore, indignissimo tribuisset idolo, illud רכון seu altissimum vocitando & cernuus coram illo adorando. Manifestum hujus adfectus vestigium prodit ׀ paragogicum particulæ ׀w adjectum, quod maximum sane, qui animum ejus impleverat, cultus idololatrici contemptum abunde loquitur. Adeo ut in mente hominis oppositio quædam locum habuerit, cultus nimirum *ibi* olim præstiti idolo, & ejus, quem nuper DEo vero promiserat, circa quam comparisonem ei accidisse verisimillimum est, quod semper accidere solet serio pœnitentibus, ut nimirum ad cogitationem aut mentionem locorum, in quibus, vel personarum, cum quibus indignum aliquod commiserunt nefas, vehementi obruantur angore, cujus ea est vis, ut, gemitibus liberum orationis flumen retardantibus, segnius proferantur vocabula, celerius alias pronuncianda, & simul locus relinquatur confessionem audientibus probe pensitandi ea, quæ proferuntur.

§. VI.

Phrasis והשתחוית בהשתחוית peculiari animadversione digna est. Altera vox est præteritum, altera infinitivus Hithpaël, sed nominatcens, cum præ- & suf- fixo. Radix est ׀חש humiliavit, humiliavit se, in Hithp. Kimchio, se toto corpore in terram dejecit, brachiis expansis. Stockio, corpus inclinavit, vel se prorsus in terram prostravit, ut faciem eandem attingat. Adhibetur ad significandum cultum

B

maxime

maxime humilem, sive civilis ille sit, sive religiosus. Con-
 tradistingvitur קרד, כרע & כרך, quorum istud *inclina-*
re caput, illud totam superiorem corporis partem incurvare,
hoc genua flectere significat. Hic cum idoli fiat mentio,
 & de rege idololatra in eodem hoc commate dicatur,
 non potest non indigitare *cultum religiosum.* Verba
 igitur והשתחויתי בהשתחויתי sic redduntur commodis-
 sime: *Et ego adoravi: in adoratione mea.* Involvit enim
 discretionem inter adorationem regis, cujus superius
 injicitur mentio, & propriam seu peculiarem Naa-
 manis, seorsim factam, & illam huic non sine empha-
 si opponit. Quasi diceret: duplex commisi netas:
 De idololatria Domini mei consentiendo & cooperando
 participavi, hoc unum est, alterum adhuc gravius,
 quod patravi בהשתחויתי, in adoratione *mea*, quam
 seorsim & abstrahendo a cooperatione ad incurvatio-
 nem Regis in æde Rimmonis designavi. Sic hæc con-
 fessio coincideret quam aptissime cum contestione
 Paulina Act. 22: 19, 20. Ubi ille quoque mentionem
 facit duplicis peccati, dum dicit se consensisse in cæ-
 dem Stephani, eumque consentum vestes testium,
 qui eum lapidibus obruebant, custodiendo prodidis-
 se, & insuper commemorat, quod & ipse, quotquot
 offenderet vero cultui litantes, in carcerem pro-
 jiciendos, quantum in illo erat, curaverit. Idem
 sibi vult particula ננ, Etenim cum dupli-
 cem habeat significationem, ut interdum va-
 leat interjectionem obsecrantis *quæso*; interdum ad-
 verbium temporis *nunc*: hic commodissime locum ha-
 bet significatus posterior, utpote qui perquam apte
 præ-

præteritum statum insipientiæ præsentî statui respicientiæ opponit. Quemadmodum Paulus itidem alicubi dicit, se olim fuisse ecclesiæ DEi persecutorem, nunc vero misericordiam esse consecutum. Incommodus & valde coactus evaderet sensus, si altera vocalæ hujus adoptaretur significatio. Talem enim involveret circumlocutionem; *Obsecro te, Elisee, ut Jehova tibi condonet*, quod quam ineptum sit dicere vel monoculus videre potest. Neque aliunde Vulgatus interpres suam *deprecetur dominum pro servo tuo* hausit, quam ex hac particula perperam intellecta, unde totius orationis sensum, repugnantibus licet omnibus textus circumstantiis, necessum habuit pervertere, sicque sequiorum temporum interpretibus eandem struere fraudem, minuendo hanc emphasin, quam ὁ LXX ei fecerant, dum perperam legendo בהשתחויתו loco בהשתחוויתו non eam modo, quam nos in superioribus ex hoc vocabulo exsculpsimus, emphasin sustulerunt, sed contrariam prorsus induxerunt. Nec mirum: fecundi enim sunt errores, & mille generantur ex uno, quam primum graviore auctoritate fuerit munitus.

§. VII.

Superfunt adhuc in textu nostro vestigia nonnulla adfectus animi vere pœnitentis, luculentius ob oculos ponenda, qualia sunt crebrior repetitio nominis idoli, ingeminatio formulæ deprecationis, imprimis autem peculiaris accentuandi ratio & particularum emphaticarum coacervatio. Dum enim loquens in una eademque phrasi בהשתחויתו בהשתחויתו bis ingerit voca-

bula כִּי רַמְזָה, ex indole lingvæ indubium est, quod non, ut quibusdam videtur, restrictionem, sed potius exaggerationem importet. Accentus regius, quem gestat pronomen זה, cum officio grammatico, quod in distingvendo consistit, hic non possit fungi, siquidem inter verbum & casum ejusdem immediate obtinet; necesse est, ut munere oratorio fungatur, quod hac ratione præstat, ut vocem adfectam aut repetendo, aut intensiori sono efferendo, adfectum loquentis vivis quasi coloribus depingat. Idem præstat quoque — emphaticum, quod duabus vocibus contiguis זֶה & זה, illi quidem virtualiter, huic vero expresse præfixum est, atque hoc utrobique, & in principio commatis, ubi phrasis illa primum occurrit, & in fine ejusdem, ubi repetita cernitur. Quemadmodum enim ipsa littera ה vocabulis asperiori spiritu enunciandis inservit, ita annexum punctum Dagesch majorem iis addit celeritatem, quam qua communiter efferuntur & ubi nulla exprimenda est emphasis. Quæ huc usque adduximus, omnia ejusmodi sunt, ut vividam quasi imaginem animi de amissis peccatis serio dolentis repræsentent. A me igitur impetrare non possum, quin credam de præterito locutum fuisse Naamanem, quicquid iis videatur, qui contrariam tuentur sententiam. Ex allatis itaque verbis, quæ breviter jam excusimus, talem interpretationem libero & amœno amne fluere arbitramur: *Hoc factum condonet Jehovah servo tuo (quod teci,) cum dominus meus ingrederetur eadem Rimmonis, ut adoraret ibi & ille mea niteretur manu, & ego adorarem in eadem Rimmonis, (peccatum quod feci)*

adora.

adoratione mea in æde Rimmonis: (peccatum, inquam, quod commisi) hoc ipso facto, condonet Jehova serbo tuo.

§. VIII.

Consulenda jam sunt antecedentia & consequentia, videndumque, quid ex illis nostræ sententiæ accedere possit roboris. Transegerat Naaman ætatem suam hucusque in stupida idololatria, veri Numinis non curans, neglecto sanæ rationis usu, neglectis conscientiæ scrupulis, neglecta verioris religionis fama, neglectis Prophetarum increpationibus, qui sæpiuscule mittebantur in Syros æque ac reliquas gentes Israëlitis finitimas. Impellente autem necessitate morbi, iussu puellæ cujusdam Israëliticæ, Elisæum, celeberrimum ea tempestate Prophetam, adit, cumque, iussu ejus, septies se in Jordane abluisset, pristinam recuperat sanitatem. Hinc totus veneratione veri DEi accenditur, ad Prophetam revertitur, eique ad primum aspectum adclamat, *nusquam terrarum talem inveniri DEum, qualem ipse jam invenerat in Israële.* Aperit itaque munera sua, rogatque enixe, velit eadem accipere Propheta. Dum vero hic præ abstinentiâ apud homines profanos inusitatissima, munera respuit, precibusque constanter renuit, ille novo quasi miraculo in idea, quam de Israëlis Jehova sibi jam formaverat, confirmatus, ejurare incipit cultum Idolorum, cui antea indulserat, seque in posterum soli Vero DEO sacrificia oblatorum promittit. Hæc vero omnia præclara erant, de peccato ne verbulo quidem adhuc expresse mentionem fecerat. Quid igitur verisimilius, quam quod verbis, quæ superius excusimus, seriam testari

testari voluerit pœnitentiam, peccatorumque sinceram edere confessionem? Nihil certe. Patebit hoc ex insequenti responsione Elisæi: $\text{וַיֵּלֶךְ בְּפָקֶדְתִּיךָ}$, *vade in pace.*

§. IX.

Est hæc loquendi ratio orientalibus familiarissima absolvendi formula, & quamvis ostendi posset, eadem non ubique in Codice Hebræo absolutionem denotari sufficit illam sæpe, & hoc loco imprimis, non nudam involvere dimissionem abeuntis, sed insuper in recessu habere, aut postulati concessionem, aut propositi adprobationem. Verbis nimirum $\text{וַיֵּלֶךְ בְּפָקֶדְתִּיךָ}$ Propheta aut adprobavit petitionem, aut sine responsione directâ, sine correctione dimisit petentem. Hoc Prophetam non decebat, cujus officium docere. Optima Naamanis dispositio, occasio docendi optima, quam certe arrepturum errantemque in viam reducturum fuisse Elisæum, si petitio quid continuisset veræ religionis dictatis adversum, quis non videt? Prius igitur tenendum, nimirum Prophetam Syri petito annuisse, adeoque de præterito esse intelligendum. Hoc si negaveris, statuis Prophetam adprobasse idololatriam, contra expressa DEI verba Exod 20: 5. Distingvis inter *cultum religiosum & civilem*. Egregiam distinctionem fatemur, quam tamen socii Danielis (a), salva conscientia, non admittendam judicantes, noluerunt edicto regis morem gerere. Hoc vero factum ut miraculosa & Divina conservatione adprobatum constat, ita etiam evincit, eos, qui hujuscemodi exceptionibus utuntur, in vicinia idololatriæ & ἀποκρίσεως habitare.

tare. Porro; quum e Gemara constet, nullo in casu, immo nec in extremo vitæ periculo, idololatriam Judæis aut Profelytis fuisse licitam; sequitur, Elisæum petitioni Naamanis annuere non potuisse de futuro intellectu. Dari caerimonias, quibus qui perfungitur coram idolo, etsi vel maxime bona intentione id fiat, pro idololatra sit habendus, inque iis esse *incurvationem*, ex sententia Doctorum Judaicorum testatur Maimonides (b). Idem confirmat locus Mi'chnæ illustris, a Coccejo hunc in modum versus: *Perinde est, siue quis idolo cultum suum exhibuerit, siue libaverit, siue adoraverit, siue illud sibi DEum fecerit, atque ipsum bis verbis salutaverit: Tu es DEus meus.* Sanhedri per Cocc. p. 54, 55. Quis igitur sibi persuadebit, Prophetam cum adprobatione dimissurum fuisse Syrum, si is incurvationis veniam coram idolo, in futurum, pia licet intentione, fuisset precatus? Nec magis probabile, Naamanem, quem ex initio hujus capituli constat fuisse צר צבא מלך ארם אֵישׁ גִּרּוּל וּבִשָּׁא פְּנִי, adeoque virum prudentem & multæ experientiæ; dispensationem petiturum a Propheta, nullius usus sibi futuram, Syrus enim prævidit, se ad suos reversum conversionem diu celare non posse, cum & Syrorum Diis renunciasset, & vero DEO Itraëlis in posterum se sacrificaturum publice fuisset pollicitus. Quapropter e re sua maxime futurum, Regi & Patriæ fidem, quovis alio modo, probare & boni civis nomen tueri, quamvis in materia religionis dissentiret, nisi gratia Regis excidere & perniciem propriam accelerare vellet. Adorationem igitur in Templo Rimmonis vel incurvationem & Prophetæ indul-

indulgentiam sibi fore perniciosam, qui cum unum tantum DEum agnosceret, pluribus se incurvando ostendisse videretur, se aut Syrorum, aut omnem DEI cultum contemnere. Quod si Socratem inter alia ideo capitis damnatum legimus, quod Deos Patriæ rejiceret novosque introducere conaretur Deos: certe non mitiora apud Syros fata Naamani erant expectanda. Nec faciliores Syri concipi poterunt aliis gentibus, permittendo, Naamanem Sacris interesse in Templo Rimmonis. Gentes a sacris abesse jubebant profanos, & si Eleusiniis adesse non initiatum contigisset, capite mulstabatur (c). Mohammedanos etiam hodie capite plectere omnes in territorio Meccano deprehensos, qui Islamismum non profitentur, testantur Relandus (d) & Gagnierius ad Abulfedæ vit. Mohammedis (e): & Mohammedes ipse Cor. Sur. 9, v. 18. edit. Maracc. Idololatrias removendos sancit, his verbis: — כֹּהֵן לְמִשְׁרָכִין אֵין יַעֲמִרוּ מִסַּגֵּר אֱלֹהִים h. e. non pertinet ad idololatrias, ut visitent templum DEI. Confici hinc existimamus verisimile non esse, Naamanem, cui gentis suæ mores satis erant perspecti, talia petiturum, quæ vel maxime concessa & adprobata facile cerneret sibi minime fore proficua. Credendum potius, eum, vere pœnitentem, in posterum & idololatriam ipsam, & omnem illius speciem terio vitando, ostendisse, malle se DEO quam hominibus obsequi. An vero ex bello, brevi tempore interjecto, Israëli illato, & quidem sine consilio & inteliciter gesto, silentio Scripturæ de Naamane, aliisque argumentis, quæ subministrat historia, colligere liceat, Nostrum con-

filio-

filiorum non fuisse participem, sed vel gratia Regis excidisse vel morte punitum, quod Syrorum sacra deseruisset, aliorum esto iudicium.

(a) *Dan. c. 3. v. 5.* (b) *De Idololatria c. 3. §. 4.* (c) *cf. Potters antiquities of Greece, Vol. 1. c. 20.* (d) *De Relig. Mohammæd, cap. 12.* (e) *p. m. 128.*

§. X.

Sic, quantum proposita nobis breuitas permisit, succincte adduximus potiora, quæ habuimus argumenta, pro expositione petitionis Naamanis nostri *de præterito*. Exigit jam ordinis ratio, ut paucis occurramus eorum exceptionibus, qui *de futuro* illam intelligere malunt. Primum omnium opponunt nobis argumentum auctoritatis, petitum ex consensu omnium versionum antiquiorum, imprimis B. Lutheri, & Theologorum Nostratum æque ac Pontificiorum & Reformatorum interpretationibus, quæ maximam partem nobis contrariam tuentur sententiam. Ad hæc autem respondemus: rationibus non auctoritatibus in re gravi & seria depugnandum esse, & sicubi auctoritatibus quandoque relinquendus sit locus, has non ex numero, sed pondere æstimandas iudicamus. Antiquissimis LXX interpretibus fraudi fuisse deprehendimus duo imprimis, quominus nudam perspicere potuerint veritatem. Alterum hoc erat, quod usi fuerint Codice Hebræo non punctato, ideoque non modo perperam distinxerint 17 & 18 capitis huius comma, dum verba לרבר הוּוֹ, contra fidem accentuationis

C

genui-

genuinæ, ad prius relegarunt, quæ ad posterius omnino pertinent, sed & perverse legerint בהשתחווהו כהשתחווהו, ut jam §. VI. observavimus, sicque duas elulerint emphases, quæ pro nostra & contra alteram sententiam fortissime pugnant. Alterum, quod, cum Judæi fuerint, jure præsumantur adhæsisse falsæ hujus Sectæ opinioni de jure Gentium non ex ratione, sed ex præceptis, quæ fingunt, Noachidicis derivando & ficulneis his fundamentis superstructo placito de diversitate jurium, quibus, ex eorum mente, obstricti erant Profelyti sic dicti *portæ & domicilii* (a). Hos deinceps bona fide, certe quod ad hoc negotium, secuti sunt reliqui interpretes, Chaldæus, Syrus, Arabs, Vulgatus &c. Quod vero attinet B. Lutherum, eximiam ille meretur laudem, quod innumera Versionis Vulgatæ sphalmata correxerit, nihilo tamen minus, cum homo fuerit, aliqua ejus aciem etiam fugerunt, quod ipse ingenue fatetur se credere (b), & eruditi successu temporis quoque observarunt. Ne vero B. Reformatori sic loquendo injuriam videamur adferre, in excusationem ejus hoc merito adduci debere videtur, quod Libros S. C. dogmaticos præcipue diligenti animadversione percentuerit, historicos autem festinanter magis recentuisse ideo existimetur, quod mille aliæ occupationes B. Viro non permiserint singulos apices scrupulosius sectari (c). Reliquis auctoritatibus alias nos opponimus, si non multitudine, tamen magnitudine æquales, utpote ex antiquioribus Theodoreti, quem seculo quinto, pro *ἐπαναπαύσεται τῶν* LXX legis *ἐπα-*
παύσεται

ναμανται & verba Naamanis de *praterito* voluisse intelligenda, observant eruditi: e recentioribus Samuelis Bocharti (*d*) Joh. Quenstedii (*e*) Joh. Sauberti (*f*) Waltheri (*g*) Glaslii (*h*) Dorschæi (*i*) Danhaveri (*k*) Dilherri (*l*) van Til (*m*) le Cene (*n*) Calineti (*o*) Paraphrastar. Vinarient. (*p*) Biblior. Norimbergent. (*q*) Belgicorum (*r*) Calovii (*s*) Dachtelii (*t*) Olearii (*u*) Lighthlooti (*v*) B. Ep. Gezelii Noftratis (*w*) Browni Angli (*x*).

(*a*) *vid. Seldenus de jur. gent. ex doct. Hebr. L. II. C. 2, 3.* (*b*) *In epist. germ. de interpret. S. S. excus. Witteb. 1530.* (*c*) *Carpovii Crit. Sacr. P. II. c. 7.* (*d*) *In Dissert. Ep. in h. l.* (*e*) *Dissert. Ac. in h. l.* (*f*) *Ex testim. Quenst. l. c.* (*g*) *Cent. Miscell. Theol. Art. 6.* (*h*) *Apud Hackspanium in notis ad h. l.* (*i*) *Theol. Zach. part. 6.* (*k*) *Consciential. T. 2. p. 2.* (*l*) *Disp. Ac. T. I. N. 16. § 22.* (*m*) *Medull. p. 436.* (*n*) *Entwurf einer Übersetzung.* (*o*) *In Biblischen Untersuchungen T. IV.* (*p*) *h. loc.* (*q*) *Bibliotheca Norimb.* (*r*) *In Scholiis.* (*s*) *Bibl. Illustr. b. l.* (*t*) *In Bibl. Ebr. Accent.* (*u*) *In Biblisch. Erklärungen.* (*v*) *In Hor. Hebr. ad Luc. IV, 27.* (*w*) *In Bibliis ad h. l.* (*x*) *In The Case of Naaman considerd, Oxonii 1741.*

§. XI.

Alii, quibus nostra non arridet sententia, hoc incongrui ex eadem exculpere conantur, quod in ordine & natura gratiæ *ὄψωνι ὑπόθεσις* committendo peccasse judicent Syrum nostrum. Verum gratis hoc asserunt. Etenim si vel maxime concipiatur v. 15 fidei & demum v. 18 penitentiae confessionem edidisse,

& verissimum sit, quod pœnitentia non sequatur, sed præcedat fidem, exinde tamen non sequitur quod illi autumant. Nam professio fidei priori loco vel supponit, vel includit pœnitentiam, & posteriori confirmationem fidei adhuc infirmioris sibi exorat Naaman per Prophetam. In hanc rem ita verba facit Cel. Dachse- lius (a); *Edidit quidem, sc. Naaman, confessionem fidei & sine dubio cum contritione ob idololatriam exercitam, neque neganda condonatio peccatorum a DEO impetrata, quæ contritionem ejus statim insecuta est; Naamanem tamen tunc tantam πλῆροΦογίαν fidei non dum habuisse, ut in corde suo de remissione Divina, nullatenus dubitaret, hæc verba nos docent, quibus sibi nunc expresse clarisque verbis per Elisam a DEO tanti scandali condonationem impertiri, anxie cupit, ut eo certior de remissione idololatriæ exercitæ, non denuo exercende, domum recedat. Hactenus ille. Nihil exinde turbatur ordo aut mutatur natura ipsius gratiæ Divinæ, quod ii, qui eandem experiuntur, hunc ejus effectum prius, alterum posteriorius, hunc pluribus, alterum paucioribus verbis exponant, prout affectus hic vel ille, ex hac vel illa occasione circumstantiarum internarum & externarum, aut altero magis efferbuerit, aut prius locum erumpendi invenerit. Leges bonæ methodi suis non defraudandæ sunt laudibus. Qui vero in statu confessionis est, ad eas non semper attendere potest, nisi adfectatam adhiberet ἀκρίβειαν, quo ipso in suspicionem, nescio quam, facile incurrere possit audientibus, non sine detrimento commodi ex confessione sperati. Unde & ad hoc Werenfeldii argumentum sic responderi posse*

posse cenſet celebre noſtri temporis Germaniæ decus Mosheimius; *Man könnte ſagen, das Naëman im Affeëkt mit dem Propheten geredet habe.* Und wer mit einer ſtarcken Gemüths Bewegung eingenommen iſt, der pflegt die Ordnung der Natur ſo genau nicht beobachten, und oft dasjenige zuerſt zu nennen was zuletzt hätte folgen ſollen. *Man nimt dergleichen Leuten dieſe Unordnung nicht übel, und entſchuldiget ſie mit der Unruhe des Gemüths, in der ſie ſtehen (b).* Sed inſtant, vitioſam eſſe ταυτολογία, ſi utrobique, & 15 & 18 commatibus, pœnitentiam inſinuaffe præſumatur vir pius. At reſpondemus, exinde, quod quis verba ſua ingeminat, non ſtatim ſequi, vitioſam eſſe ταυτολογία. Non enim omnis, ſed ſupervacanea ejuſdem verbi vel ſententiæ, repetitio hoc nomine venire debet. Præterea in vere pœnitentibus non præcepta oratorum, ſed affectus animorum imperium obtinere ſolent. Et dum in verba ſe exonerant, ſi ſcrupuloſam nimis in ordine & modo ἀκριβεια non ſemper obſervent, in favorem plenitudinis cordis iis condonandum eſſe, nemo ignorat. Audiamus nuper laudatum Mosheimium, contra Patrem Liron, Ordinis Benedictinorum, Gallum, ſuo more, id eſt egregie differentem; *Natman hatte freylich ſein Unrecht erkannt, da er den GOTT Iſraël für den einigen wahren GOTT ausgerufen hatte.* Allein er hatte doch nicht offenbar und deutlich geſiehet das ſeiner vorhin verübten Abgötterey nicht weiter gedacht werden möchte. Eine bitte um Vergebung wäre alſo in ſeinem Munde nicht ſo gar überflüſſig geweſen. *GOTT hatte ihm allerdings verziehen, da er allem Götzendienſt abſagete, und binjübro den HERRn allein*

lein anzubethen gelobte. Allein ein gerührter Büssender thut oft mehr, als er thun darf. Naaman hatte noch die Versuchung von seiner Rechtfertigung nicht erhalten, und wolte vielleicht dieselbe gerne, zu seiner desto größern Beruhigung, aus dem Munde des Propheten vernehmen. Was unnötzig zu seyn scheint, das hält oft ein zerknirschter Sünder für höchst nötig (c).

(a) *Bibl. Hebr. accent. in h. l. p. m. 489 & 490.* (b) *In notis ad Biblisch. Unterf. Calmeti T. IV. p. m. 289.* (c) *l. c.*

§. XII.

Nec majoris momenti est argumentum, quod desumunt a restrictione, quam in confessione sua adhibere illis videtur Naaman, dum ejus solummodo delicti mentionem facit, quod in comitatu Regis, vel saltem in Templo Rimmonis commiserat. Prius enim superius observavimus falsum esse, & posterius quod attinet, neminem existimamus inficias iturum, fuisse pompofam illam idololatriam in æde Rimmonis omnium delictorum ejus gravissimum. Quo concessio, æque excusari potest Naaman, quod singula non enumeret peccata, ac Paulus, quod crimen persecutionis duntaxat commemoret, & Zachæus, quod repetundarum solummodo meminerit. Si vero quis contentiosius urgeret, non fuisse hoc scelus maximum & atrocissimum, sufficere posset, quod Naaman hoc pro gravissimo habuerit, idque in præsentiarum omnium tenerrime senserit conscientiam suam adfligere. Verum non est quod dubites de veritate

ritate prioris adserti. Etenim publicus ille Regum & Magnatum cultus, qui in hoc Templo præstabatur idolo, sine dubio primitus institutus fuerat ob rationes politicas, quemadmodum alibi gentium factum fuisse, nos edocent exempla Solonis, Lycurgi, Numæ Pompilii, Jeroboami &c. (a) Jam igitur, quum in sacris animadvertamus, in Regibus Israël tanquam crimen maxime capitale perstringi, quod in viis Jeroboami ambularent & Israël ad peccandum irritarent: nihil ob stare videtur, quin Naaman hoc facto suo maximum nefas patrasse vere judicetur, siquidem non tantum huic idolo honorem exhiberet maximum, verum etiam scandalum maximum præberet imperitioribus, qui exempla superiorum facillimè imitantur. Præterea, si vel maxime concederemus, hominem plura adorasse idola, nihil tamen hoc impediret, quo minus solius Rimmonis meminisse potuerit, siquidem hoc eo adorationis genere & eo nomine honorasset, quod non nisi cæli terraque Creatori competit. Nec diffitendum, eruditorum quibusdam probabile visum, Naamanem de cetero etiam antea, varias ob causas, non magni fecisse idola, & dubia vel reluctantè conscientia, in Templo tantum Rimmonis adorasse, quo Regi debitum officium præstaret. Quod si admittatur, non mirum, eum hujus potissimum delicti, hujusque loci toties mentionem injicere, animo volentem occasionem, qua in primis ad gravissimam idololatriam fuerat seductus.

Sic

Sic L. B. succincte tibi exposuimus, quæ nostra sit sententia de *Petitione Naamanis nostri*. Si vero tuo desiderio minus satisfacere, quam optarem, potuerimus, hoc tenuitati virium nostrarum adscribas. De cetero tam ingenuos nos semper deprehendes, ut, si tibi suppetant potiora pro sententia contraria argumenta, lubentes tibi concedamus tuo abundare sensu, facilesque in tuam pedibus ituri simus sententiam, modo scrupulos, qui nobis hærent, legitime evellere fategeris. Vale.

(a) *Buddei Theol. Dogm. P. I. C. I. §. III.*

SOLI DEO GLORIA.

